



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quomodo producendi, & recipiendi sint testes: & quomodo puniantur
impedientes productionem & receptionem eorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

adverse partis . nec per se , nec per alios suppresserit , aut occultaverit , quod depositiones testium non exploraverit , nec perscrutatus sit (non obest tamen , obiter eas legisse tantum , aut referri audivisse , cum ex tali casu nulla videatur subornationis præsumptio posse oriri) & quod hanc quartam productionem non petat malitiosè & dolosè , &c. in quibus consistit solemnitas illa legalis , cuius meminerunt jura : quâ suppositâ , si tamen cesset subornationis præsumptio , & partes non renuntiaverint ulteriori testium productioni , potest illa pars , quæ petivit quidem ulteriorem productionem , cui tamen illa concessa non fuit sine justa causa , à gravamine hoc & sententia hac interlocutoria , quæ vim definitivæ habet , non tantum de jure Canonico , sed etiam de jure Civili appellare , cum beneficium à lege indultum non sit alicui auferendum , juxta Reg. Juris 17. in 6 prout deciditur etiam in c. Significaverunt. 26. h. t.

§. III.

Quomodo producendi, & recipiendi sint testes : & quomodo puniantur impediens productionem & receptionem eorum ?

Ad testium validam receptionem debet pars contra quam producuntur , citari , c. In nomine 2. h. t. (ne videantur recepti tantum in favorem producentis , & in odium alterius partis absentis) ita tamen , ut pars adversa citari tantum debeat , ad videndos testes , qui contra eam producuntur , & articulos super quibus producuntur , ac audienda eorum jura-

menta , non tamen ad audiendas eorum depositiones & dicta , quæ secreto & sigillatim à Judice coram Notario recipienda sunt ; & est hæc citatio usque admodum necessaria , ut nullius momenti sint contra non citatum receptæ attestaciones , nisi Iudex ex officio procedat per inquisitionem generalem , aut periculum sit in mora , vel ratione causæ , vel ratione testium aliò abitorum , vel ratione probationum aliàs omittendarum ; aut pars , contra quam producuntur testes , per se sit præsens , ita ut nulla citatio necessaria sit.

Qui verò testes impediunt , quod minus testimonium perhibeant veritati , aut ne producantur , & recipiantur , sunt excommunicandi , prout constat ex c. Constitutus 45. h. t. Et si qui juraverint , testimonium se non duros contra partem aliquam , hoc juramento velut iniquo non obligantur , & compelli possunt ad testificandum , si attestaciones nondum sint publicatæ , nec renuntiarum productioni testium. c. Intimavit. 18. h. t. Debent autem testium attestaciones sumptibus producentium fieri , cum regulariter sumptus ille præstare debeat , in cujus gratiam a Deus celebratur.

§. IV.

De examine Testium , & in primis à quo sint examinandi ?

Examinandos esse à Iudice , constat ex authen. Vi defuncti. Co. cap. 11. ludi etiam. Novell. 60. junctâ à Gloss. V. testibus. Ita tamen ut possit Iudex eorum longè fortassis absentium , examen alteri committere , & depositiones descriptas